

stra ab hac sententia, pios, qui bene vixerunt, a summo & benignissimo Ente expectare praemia, & impios, qui male vixerunt, merito metuere promeritas poenas. Ex his rationibus mentis nostrae facultates agnoscunt, expectant & metuunt rerum omnium potentissimum conditorem, & benignissimum remuneratorem, & iustum iudicem.

II.) Sciant praeterea fidei defensores, duas esse incredulitatis causas, quae accurate consideratae, duo sunt praeiudicia; altera est metus poenae; homines metuunt extremum iudicium, noluntque de vita sua acta coram Deo rationes reddere, hinc optant, & sibi tandem persuadent, nullum esse iudicem universalem post mortem. Altera est praesumptio maioris penetrationis, & iudicii acuminis. Putant se esse spiritus fortes, qui naturam rerum profundius inspiciant & hominum vulgarium praeiudicia abiiciant. Hac vanitate inflati suis affectis donum maioris penetrationis adscribunt, reliquos vero tanquam stupidos contemnunt. Tantum abest, ut eorum opinionibus maiorem veritatis efficaciam vel evidentiam attribuas. Nosti enim, quod veritatis evidentia & efficacia sit in veritatibus reuelatis maxime conspicua; quippe quarum effectus sunt maxime mirabiles. Neque existimemus, ideam Dei infidelium rationi esse obscuram; quidam enim libenter in explicatione rerum naturalium Deum admittunt, eique perfectiones attribuunt, sed cavent, ne inspectio & cura rerum humanarum ipsi adscribatur. Infidelium opiniones animis hominum nullam reddunt tranquillitatem. Mortis metus manet in omnibus hominibus, sciunt se esse morituros. Metus futuri status & iudicii diuini aggrauat metum

tum